

70. Quod verò grunniunt Pontificij, non solum Schismata, sed hæreses varias apud Lutheranos esse excitatas: ac proinde falsæ Ecclesiæ notam ipsis inurendam clamitant: id verò frivolum est.

71. Neque enim hæreses unquam extra Ecclesiæ vera pomeria extiterunt, velexare etiam possunt: Quemadmodum lolium vix ullibi magis nascitur, quàm in agro, bono semine consito.

72. Id quod dilucidè etiam evincit Apostoli Aphorismus non simpliciter dicentis, oportet hæreses esse: sed cum $\pi\epsilon\sigma\sigma\delta\iota\omicron\gamma\iota\sigma\mu\acute{\omega}$ ac determinatione, manifestè digitum intendente ad veram Ecclesiam: Oportet hæreses esse IN VOBIS. 1. Cor. 11, 19.

73. Sic Act. 20, 20, in sua valedictoria, Ex vobis ipsis, inquit Apostolus, exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.

74. Verùm non ideò vera Ecclesiæ de sua unitate quicquam decedit, si vel maximè ex ejus quasi gremio multi profiliant hæretici: siquidem ex nobis quidem prodierunt, sed non erant ex nobis. 1. Joh. 2, 19.

75. Et sanè si hæc Pontificiorum cavillatio locum obtinere debeat, nulla unquam dari poterit Ecclesiæ vera: siquidem hæc ipsius fuit sors omnibus temporibus, ut ex ea hæretici sint egressi; id quod de primitiva etiam Ecclesiæ ab ipsis Apostolis plan-

E c

tata;